



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

rent & ab eis ad quos pertinent pacificè possideri permitterent restituere, quod non obervarunt postmodum redeuntibus, immo detinentes prædicta omnia sicut prius, ea restituere contradicunt. Vnde nos venerabilibus fratribus nostris Thebano & Neopatremsi Archiepiscopis dedimus nostris litteris in mandatis ut detentores eosdem ad restitutionem integram detentorum cum satisfactione perceptorum fructuum competenti monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, sicut iustum fuerit, appellatione remota compellant. Quocirca excellentiam tuam monemus attentius & hortamur quatinus detentores prædictos ad hoc tradita tibi potestate compellas. Datum ut in alia per totum.

In eundem serè modum scriptum est ipsis super hoc usque restituere contradicunt. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus detentores eosdem ad restitutionem integram detentorum cum satisfactione perceptorum fructuum competenti monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota, sicut iustum fuerit, compellatis. Testes autem &c. usque prohibere. Nullis litteris veritati & iustitiæ præjudicantibus &c. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani vi. Idus Iulij, anno tertio decimo.

E I D E M.

AD ecclesiastica bona manus extendere non deberes, cum Ecclesiæ ipsius Christus ampliaverit tibi manus, nec gravare debes Ecclesias, quarum credis ministrorum precibus flecti Christum, ut te ab hostium gravaminibus tueatur. Inde est quòd imperialem celsitudinem rogandam duximus & monendam quatinus restituens Ecclesiæ Larissenæ si qua de ipsius bonis detines minus iustè, permittas venerabilem fratrem nostrum Larissenum Archiepiscopum & suffraganeos ejus Ecclesias, abbatias, Clericos, & possessiones, decimas, & alia jura quæ ad Ecclesias pertinent eorundem, pacificè possidere. Datum Laterani Nonis Iulij, anno tertio decimo.

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI, & Priori sancti Demetrii Thessalonicensis, & Procuratori episcopatus Dimicensis.

LAcrymabilem venerabilis fratris nostri Cardicensis Episcopi recepimus questionem quòd cum obtentas à nobis litteras, rediens post labores, captiones,

& angustias plurimas quas sustinuit Romaniam, præsentari fecerit fratribus Hospitalis sancti Iohannis Ierosolymitani, qui episcopatum ipsius cum Cardicensi castro & res alias detinentes nec restituere volunt ei, nec de perceptis à promotionis suæ tempore proventibus, quos in usus proprios converterunt, in aliquo subvenire, ipsi earum latore gravissimè verberato, turpiter ipsas litteras projecerunt, & comminantes ipsum interficere, asseverant quòd pro nullis litteris vel mandato episcopatum prædictum ei resignabunt aliquatenus vel dimittent; qui præter hæc quandam in Armiro cum suis pertinentiis, in qua propriam mansionem faciunt, detinent abbatiam, quam nos ei duximus concedendam. Propter quod idem Episcopus factus pauper, & ad extremam deductus inopiam, exul ab episcopatu suo compellitur mendicare. Verùm quia venerabiles fratres nostri Atheniensis & Thebanus Archiepiscopi & Episcopus Fermopilensis, quibus Episcopus ipse causam super hoc obtinuit delegari, pro eo sententiam protulerunt fratres ipsos super restitutione castri prædicti & pertinentiarum ipsius ac casalium omnium & possessionum omnium pertinentium ad Ecclesiam Cardicensem prædicto Episcopo condemnatos, quia contumaciter resistebant, excommunicationis vinculo innodantes, nobis humiliter idem Episcopus supplicavit ut tam diffinitivam quam excommunicationis sententiam rite latas auctoritate dignaremur apostolica roborare. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus diffinitivam, sicut est iusta, per censuram ecclesiasticam, excommunicationis verò sententiam, sicut rationabiliter est prolata, usque ad satisfactionem idoneam auctoritate nostra faciatis appellatione remota inviolabiliter observari; attentius provisuri ut fructus Ecclesiæ suæ, quos iidem fratres percepisse dicuntur, & castri prædictum, quod detinetur ab ipsis, eidem sublato appellationis obstaculo restitui cum integritate debita faciatis; contradictores censura ecclesiastica compellendo. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani v. Idus Iulij, anno tertio decimo.

In margine istius epistole scriptum erat antiquitus: VACAT. Quo vocabulo ostenditur illam hoc loco esse inutilem & alibi melius haberi, nimirum infra numerum CXIII.

Epist. 100. De eodem articulo.

Epist. 101. Scribitur pro Episcopo Cardicensi. Vnde infra epist. 111. 110.